REVOCATIO GRATIAE

Confirmationis Congregationis Albien. Ordinis Carmelitarum, & Confirmatio extinctionis eiuſdem, facta per S. D. Clementem Papam Octauum.






CLEMENS PP. VIII.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

SEDES Apoſtolica, quæ conſueuit ſe in exhibitione gratiarum erga omnes liberalem oſtendere plerumq; nonnulla certis ſuadentibus cauſis concedit, quę poſtmodũ alijs nõ minus rationabilibus cauſis alterat, & ad priſtinũ ſtatum reducit, prout ęquitas ſuadet, ac rerum, & temporum qualitatibus pẽſatis id in Domino cõſpicit ſalubriter expedire. Sanè cum aliàs dilectus filius Frater Guido le Roux Ordinem Fratrum Beatæ Mariæ de Monte Carmelo expreſsè profeſſus nobis expoſuiſſet. Quod antea fœlicis recordationis Leoni PP. decimo prædeceſſori noſtro, pro parte claræ memorię Ludouici tunc Francorum Regis Chriſtianiſsimi, tam ſuo, quam quondam Ludouici de Lyra tunc Prioris domus Ordinis præfati Pariſieñ, & Cõgregationis Albieñ Procuratoris generalis expoſito, Quod ipſe Ludouicus Rex regularis obſeruantiæ dicti Ordinis zelo inductus, vt domus eiuſdem Ordinis in Regno Franciæ, & dominijs ſuis conſiſtentes facilius ad vnam Congregationem, & regularem obſeruantiam reducerentur, & ex eis vna Congregatio conſtitueretur effecerat, quod bonæ memoriæ Georgius, tituli Sancti Sixti, Presbyter Cardinalis, tunc in humanis agens, & in partibus illis Apoſtolicæ Sedis Legatus, ſufficienti ad id ab eadem ſede facultate ſuffultus, tunc Prioribus, & Fratribus Pariſieñ, Albieñ, Rothomageñ, & Oppidi Meldunenſis, Senoneñ diœc. aliarumq; domorum, & Conuentuũ dicti Ordinis in præfato Regno conſiſteñ, vt ex illis vnam Congregationem, quæ Congregatio Albieñ Ordinis Fratrum Beatæ Mariæ ſemper Virginis de Monte Carmelo nuncuparetur, & per vnum Vicarium generalem, qui domibus, Conuentibus, Prioribus, & Fratribus prædictis præeſſet, & ſuperioritatem, viſitationem, correctionem, & poteſtatem ad inſtar Vicarij Congregationis Mantuanæ dicti Ordinis haberet, regi

 deberet,

deberet,constituere possent,quodq; illius Vicarius,ac domus,illarumq; Priores,& Fratres omnibus,& singulis priuilegijs exemptionibus,gratijs,concessionibus, & indultis Apostolicis eidem Cōgregationi Mantuanæ,eiusq; Vicario generali,Prioribus,Fratribus,domibus,& Cōuentibus in genere,vel in specie,pro tēpore concessis,vti potiri,& gaudere liberè, & licitè valerent,ac si eisdem Congregationi Albieñ concessa essent,concesserat pariter,& indulserat, prout in ipsius Georgij Cardinalis,& Legati. Et deinde idem Leo prædecessor supplicationibus eiusdem Ludouici Regis tunc inclinatus litteras, & illarum vigore constitutam,Congregationē Albieñ huiusmodi,ac omnia,& singula alia in dictis litteris cōtenta, auctoritate Apostolica approbauerat,& cōfirmauerat,ac perpetuæ firmitatis robur obtinere debere decreuerat, cum defectuum,si qui forsan interuenissent,suppletione, illaq; de nouo cōcesserat, Et nihilominus, quod modernus & pro tempore existens Vicarius Congregationis Albieñ huiusmodi vltra triennium esse, & eius offitium prolongari non posset,& in fine triennij Capitulum generale pro Vicarij generalis electione legitimè cōgregari deberet,& in eo priores, & vocales gremiales Congregationis Albieñ huiusmodi ad Vicarij generalis electionem procedere deberent,& in Vicariū generalem per ipsos Priores, & vocales huiusmodi electus offitium suum sine aliqua contradictione libere exercere posset,& valeret, Ipseq; pro tempore existēs Vicarius generalis,omnia,& singula domus,Conuentus,loca, & Fratres dicti Ordinis partium Vltramontanarum Congregationi Albieñ huiusmodi aggregari cupientia recipere, & dictæ Congregationi Albieñ aggregare,ac in generali Capitulo,pro manutentione regularis obseruantiæ huiusmodi vna cum Diffinitoribus Cōgregationis Albieñ prædictæ,statuta,& ordinationes Sacris Concilijs non contraria more aliorū Ordinum,& Congregationum edere,& condere posset,necnō eandem auctoritatem,& facultatem in Fratres Congregationis Albieñ huiusmodi,quam Prior generalis dicti Ordinis,tam de iure, quam de cōsuetudine,ex priuilegijs eidem Ordini concessis in suos subditos habere dignoscebatur haberet, Ac quod,tā illi, qui ante Congregationis Albieñ huiusmodi institutionem,in vniuersitate studij Parisieñ studebant, quam alij dicti Ordinis Fratres ad dictam Vniuersitatem,de suorum Superiorum licentia,prout ante reformationem,& Congregationis Albieñ.huiusmodi institutionem poterant sine alicuius contradictione se cōferre, ac ibi litterarū studijs operam dare,liberè,& licitè valerent, Necnon Conseruatores, seu Vicarius Albieñ. huiusmodi,pro tempore existentes,si illius Fratres professi, aut incorporati postquam annum probationis, aut incorporationis cōpleuissent, sine expressa,& inscriptis à dicto Vicario gen.obtenta licentia ab ipsa Cōgregatione recessissent,& apostatassent,& infra mensem,à die recessus,& apostasiæ huiusmodi cōputandum non redijssent,tam in recedentes,quam in eos recipientes,seu defendentes,aut auxilium illis præbentes cuiuscumq; status,ordinis,gradus,vel conditionis existerent,excommunicationis sententiam proferre,ac eos iteratis vicibus aggrauare possent, A qua præterquam in mortis articulo cōstituti, nisi auctoritate Apostolica,aut per Vicarium generalem Congregationis Albien.huiusmodi pro tempore existentem, absolui nequirent; Quodq; confirmatio Vicarij generalis Albien. huiusmodi pro tempore electi ad generalem totius Ordinis huiusmodi pro tempore existentem pertineret. Ita quod interim Vicarius præcedens Cōgregationi Albien.huiusmodi præsidere haberet, Ipseq; Generalis Ordinis,domus,& Conuentus Cōgregationis Albien.huiusmodi,per seipsum,& non Vicarium,seu aliū visitare ad instar Congregationis Mantuæ huiusmodi taxas recipere posset;Ac quod domus,Conuentus,& Fratres dictæ Congregationis Albien.,omnibus,& singulis priuilegijs,gratijs,exēptionibus,immunitatibus,libertatibus,fauoribus,& indultis,quibus aliæ eiusdem Ordinis,domus,& illarum Fratres,præsertim Congregationis Mantuanæ huiusmodi vtebantur,potiebantur,& gaudebant,ac vti potiri,& gaudere poterant,quomodolibet in futurum vterentur, potirentur, & gauderent,statuerat,& ordinauerat,prout in ipsius Leonis prædecessoris,sub dat.vid. Romæ apud Sanctum Petrum Kal.Octobris, Pontificatus sui Anno primo,respectiuè, confectis litteris dicebatur contineri, & in eadē expositione subiunxisset, quod propter nouissimas bellorū calamitates Regni Galliæ admodū relaxata fuerat inter dictos Fratres regulæ prædictæ obseruantia, multaq; absurda contra illius formā introducta. Cupiebantq; propterea Religiosi dictæ Cōgregationis illā ad pristinā suam Regulam,& obseruantiam restituere.Nos dicti Guidonis,qui tunc se Procuratorem generalem eiusdem Congregationis Albien.ac Priorē eorūdē Fratrū Oppidi prædicti Meldunensis esse asserebat, etiā nomine totius Cōgregationis deputati supplicationibus inclinati,erectionem,concessionem,statuta, & ordinationes,aliaq; omnia,& singula præmissa Apostolica auctoritate cōfirmauimus,& approbauimus,illisq; perpetuę,& inuiolabilis firmitatis robur adiecimus,ac per illos,ad quos spectat inuiolabiliter obseruari debere; Ac irritū quoq;,& inane decreuimus,prout in nostris litteris,exinde,sub dat.Ferrariæ duodecimo Kal.Iulij,Pontificatus Nostri,Anno Septimo, confectis plenius continetur. Cū autē sicut accepimus aliàs de Anno Domini,Millesimo quingētesimo octuagesimo quarto,piæ memoriæ Gregorius Papa Decimustertius,etiam prædecessor noster,iustis suadentibus causis,Congregationē Albien.prædictam,illiusq; nomen,& statum,Motu suo proprio, dicta Apostolica auctoritate perpetuo aboleuerit,& extinxerit,illiusq; priuilegia,indulta,prærogatiuas, & alias gratias reuocauerit,& annullauerit,ac omnes extinctæ Congregationis huiusmodi Fratres,eorūq; domus, & loca, & iura

omnia

omnia cũ dicto ordine, Ita, vt vna familia, vnumq; corpus censeretur, coniunxerit, seu vniuerit, & successiue de anno eiusdẽ Domini, Millesimo quingentesimo octuagesimo nono, extinctio, & annullatio, ac huiusmodi vnio, de ordine, & mãdato recolendæ memoriæ Sixti Papæ Quinti similiter prædecessoris nostri, exequutioni demãdatæ, ac per claræ memoriæ Hẽricum Francorũ Regẽ Christianissimũ, eius nominis tertiũ, & supremũ Parlamẽtũ Parisien. ac eminẽtiores quosdã eiusdẽ extinctæ Cõgregationis Fratres acceptatæ, & admissæ. Demumq; omnia, & singula, quæ per Iudices cõmissarios, ad id deputatos, gesta, & facta fuerant, per eundẽ Sixtũ prædecessorẽ approbata, & cõfirmata fuerint. Necnon dicti Fratres, Priori generali dicti Ordinis, ex tũc se subijcientes eidẽ admissis, & omnibus decretis, & ordinationibus, per præfatos Cõmissarios factis obedientiã promiserint, & ab eo tẽpore citra in ijs omnibus pacificè, & sine vllo impedimento cõtinuatũ fuerit. Hincq; satis cõstet dictũ Guidonẽ nõ solũ sibi nomẽ, & partes Procuratoris generalis dictæ Cõgregationis Albien. quæ amplius nõ extat falso arrogasse, sed etiã solo ambitionis spiritu ductũ prædictam cõfirmationẽ à nobis tacita rei veritate, & aliàs obreptitiè extorsisse, & quãuis à tã graui errore desistendo eadem cõfirmatione vti non debuisset. Nihilominus illius prætextu, nonnullos Fratres dicti Ordinis in suam sententiam pernitioso exemplo traxerit, ac in domo eiusdem Ordinis Parisien. se in Vicarium generalẽ extinctæ Cõgregationis huiusmodi, inuocato etiã secularium auxilio, spretisq;, & expulsis nonnullis grauibus ipsius Ordinis religiosis, qui ei sese opponebãt, & præsertim dilecto filio Guilelmo Chãpcheuryeulx Cõmissario, ad prædictã domũ Parisien. reformandum, per dilectum filium moderñum Priorem generalem prædicti Ordinis specialiter deputato in spretum, & vilipendium eiusdem Prioris generalis eligi fecerit. Nos ex illis Ordinẽ præfatũ manifestè læsum esse, & exinde grauia scãdala, & incõueniẽtia in prædicto Regno oriri posse, cõsiderãtes illisq; pro Pastoralis offitij nostri ratione occurrere, ac prædicti Guidonis, & aliorũ ei adhærentium religiosorũ ambitionẽ, & temeritatẽ cõpescere volẽtes, necnõ extinctionis, abolitionis, & vnionis huiusmodi, ac desuper confectarũ, & aliarũ litterarum præfatarum tenores, etiã veriores, ac datas cũ omnibus, & singulis indesequutis præsentibus, ac si de verbo ad verbum insererẽtur pro expressis habẽtes. Motũ proprio non ad dicti Ordinis, vel illius Prioris generalis, aut cuiuscumq; alterius nobis pro eis oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa scientia, meraq; deliberatione nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Confirmationem, & approbationẽ, ac desuper confectas litteras prædictas, & in eis cõtenta, & sub quibuscumq; verborum formis, & expression. apposita quæcumq;, necnon assertam electionem de dicto Guidone in Vicarium generalem prædictæ Congregationis, vt præfertur, & aliàs quomodolibet factam, aliaq; omnia, & singula indesequuta, ac per ipsum Guidonem vti Vicarium huiusmodi quomodocumq;, & qualitercumq; facta, & gesta, ac in posterum facienda, & gerenda dicta auctoritate, tenore præsentium perpetuo reuocamus, annullamus, viribusq;, & effectu euacuamus, ac penitus, & omnino tollimus, abrogamus, & abolemus, perpetuoq; reuocata, annullata, abrogata sublata, & aboleta, ex nũc fore, & esse, illaq; omnia nullatenus subsistere, nec dicto Guidoni, minusq; cuiquã alij ad electionẽ prædictã, aut quẽuis aliũ effectũ suffragagari vnquã potuisse, vel posse, irritũq; & inane decernimus, & declaramus, ac Guidoni, eiusq; adhærentibus prædictis, necnon quibusuis alijs cuiuscũq; status, gradus, ordinis, & conditionis personis interesse, desuper quomodolibet habentibus, aut habere prætendentibus perpetuum silentium, in, & super præmissis omnibus & singulis imponimus. Et nihilominus eundẽ Guidonẽ ab offitio Vicarij generalis huiusmodi, omniq; illius auctoritate, potestate, præeminentia, & superioritate earundem præsentium serie amouemus, illũq; etiã priuamus, ac amotũ, & priuatũ denuntiamus. Omnibusq; & singulis, tam dictæ Parisien., quam quarumcunq; aliarũ dicti Ordinis domorũ in prædicto Regno, & extra illud vbiuis cõsistẽtiũ Fratribus, & Religiosis præsentibus & futuris, sub excõmunicationis latæ sententiæ pœna eo ipso absq; vlla alia declaratione incurrẽda, à qua nõ nisi per nos, aut Romanũ Põtificẽ pro tẽpore existẽtẽ, præterquã in mortis articulo cõstituti absolui queãt, ne prædictũ Guidonẽ in Vicariũ præfatũ recognoscere, aut illi vllã obediẽtiã præstare, vel eius mãdatis, præceptis, monitionibus, ordinationibus, & decretis hactenus quomodolibet factis, aut in posterum faciendis obedire, vel morẽ gerere, aut sub obediẽtia superioritate correctionę, & visitatione eiusdẽ degere quoquomodo audeant, seu præsumãt, auctoritate, & tenore prædictis districtius inhibemus. Præterea vero extinctionẽ, & abolitionẽ dictæ Cõgregationis Albien, illiusq; priuilegiorũ, & gratiarũ, annullationẽ, & reuocationẽ, ac vnionẽ, & coniunctionẽ prædictas, ac eiusdẽ Gregorij prædecessoris litteras, exinde cõfectas, & in eis cõtenta quæcũq; cũ omnibus, & singulis indesequutis, etiã perpetuo eisdẽ auctoritate, & tenore approbamus, & cõfirmamus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis, Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, supplẽtes omnes, & singulos, tã iuris, quã facti, ac solemnitatũ de vsu iure, vel cõsuetudine, aut aliàs quomodolibet requisitarũ, vel necessariarũ, ac quosuis alios, etiã quãtumuis substantiales defectus, si qui desuper quomodolibet interuenerint. Decernentes quoq; extinctionẽ, abolitionẽ, annullationẽ, reuocationẽ, vnionem, & cõiunctionẽ præfatas, perpetuò validas, & efficaces esse, & fore, suosq; plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis, ad quos nunc quomodolibet spectat, aut spectare poterit in futurũ perpetuò firmiter, & inuiolabiliter obseruari, & adimpleri. Præsentes quoq; etiã ex eo, quod Guido, & eius adhæren-

hærentes prædicti alij quicũq; interesse quomodolibet habẽtes, vel prætendentes præmissis non cõsenserint nec ad ea vocati fuerint, seu aliàs ex quocũq; capite, vel causa, quantumuis legitima, & iuridica, de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, impugnari, retractari, annullari, vel inualidari, seu in ius, aut cõtrouersiam vocari, vel ad viam, & terminos iuris reduci, seu aduersus illas quodcunq; iuris gratiæ, vel facti remediũ impetrari, nullatenus vnquã posse, sed illas semper, & perpetuò validas, & efficaces esse, & fore, suosq; plenarios, & integros effectus sortiri, vel obtinere debere, neq; sub quibusuis similiũ, vel dissimiliũ gratiarũ, reuocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, modificationibus, aut alijs cõtrarijs dispositionibus, etiã per nos, & Romanũ Pontificẽ pro tẽpore existentẽ, ac Sedẽ præfatã sub quibuscũq; tenoribus, & formis, ac cũ quibusuis clausulis, & decretis pro tẽpore factis, cõprehendi, vel confundi, sed ab eis semper exceptas, & quoties illæ emanabunt toties in pristinum, & validissimũ statum restitutas, repositas, & plenarie reintegratas, ac de nouo, etiã sub data per Priorem generalem dicti Ordinis pro tempore existentem quandocumq; eligẽda cõcessas esse, & fore. Sicq; per quoscumq; Iudices, & Commissarios, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, ac Sãctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere legatos, & Vicelegatos sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & diffiniri debere, Necnon irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabili Fratri Episcopo Parisien. & dilecto filio nostro, ac Sedis Apostolicæ Nuncio in Regno Galliæ, nunc, & pro tempore existentibus, per præsentes committimus, & mãdamus, quatenus ipsi, aut vnus eorũ per se, vel aliũ, seu alios quoties pro parte prædictorum Prioris generalis, ac Fratrum fuerint requisiti, seu vnus eorum fuerit requisitus præsentes, & in eis contenta quæcunq; solemniter publicantes, eisq; in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant, auctoritate nostra easdem præsentes, & in eis contenta quæcunq; integrè, & inuiolabiliter obseruari. Ac eosdem Priorem generalem, & Fratres illis, pacificè vti, frui, & gaudere. Non permittentes eos à quoquam quouis quæsito colore, vel ingenio desuper quomodolibet indebitè molestari. Cõtradictores quoslibet, & rebelles per censuras Ecclesiasticas, aliaq; opportuna iuris & facti remedia appellatione postposita compescendo, ac censuras ipsas, etiam iteratis vicibus aggrauando, reaggrauãdo, interdicendo, inuocato etiam ad hoc brachij secularis auxilio. Non obstantibus singulis præmissis, fœlicis recordationis Bonifatij Papæ Octaui prædecessoris nostri, de vna, ac Concilij generalis, de duabus dietis, ac quibusuis alijs Apostolicis, necnon in prouincialibus, & synodalibus, vniuersalibusq; Concilijs editis specialibus, vel generalibus Cõstitutionibus, & ordinationibus, ac Ordinis, & Congregationis Albien. prædictis statutis, etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, & consuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & litteris Apostolicis eisdem Ordini, & Congregationi, ac quibusuis eorum superioribus, & personis, sub quibuscunq; tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs alijsq; efficacioribus, & efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusq; & alijs decretis in genere, vel in specie, etiam Motu scientia, & potestatis plenitudine similibus, & Concistorialiter, ac alias in contrarium forsan quomodolibet concessis, innouatis, & approbatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi de illis, eorumq; totis tenoribus de verbo ad verbum mentio specifica, & specialis habenda foret illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, ac derogatum esse volumus, & decernimus, cæterisq; contrarijs quibuscumq;. Volumus autem ad hoc, vt præsentes amplius innotescant, quod earum exemplis, etiam impressis, ac manu Notarij publici, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in iuditio, & extra illud habeatur, quæ eisdem præsentibus haberetur, si exhibitæ forent, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die prima Iulij, Millesimo quingentesimo nonagesimo nono, Pontificatus Nostri Anno Octauo.

A. Santinellus.

Ant. Rabeus.

ROMAE. Apud Impressores Camerales. 1599.